

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2406

**Auteur(s)** : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Coutances (hôtel-Dieu)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1217

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Règlement donné aux frères et pauvres de l'Hôtel-Dieu de Coutances, pour l'administration des biens et revenus de ladite Maison, par Hugues de Morville, évêque de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constansis, n° XXVIII, col. 254-255.
- b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XIV, p. 11-12.

Texte établi d'après b

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Hugo, Constantiensis ecclesie minister humilis et fratres et pauperes domus Dei Constantiensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos, communi assensu, instituisse ut omnes redditus ipsius domus in scripto redigantur sicuti venient et summa omnium reddituum singulis annis ad festum sancti Michaelis cunctis fratribus presentibus audiatur ; quidam etiam in domo illa sit truncus in quo tres sere ponantur, una autem illarum clavium per concilium domini episcopi custodiatur ; prior vero alteram habeat, unus fratrum tertiam ; omnes denarii ibi oblati, transmissi, delegati, ubicumque et a quocumque fratre recipiantur, in trunco illo ponantur ; ita tamen quod aliqui aliorum fratrum sciant a quo fratre predicti denarii ibi ponantur. Si autem prior vel aliquis fratrum convictus fuerit quod sex denarios vel amplius retinuerit, quos in trunco predicto non posuerit, post tot dies quot denarios ipse retinuerit ad cellam comedat, nisi a domino episcopo communi assensu fratrum ejusdem domus ad pristinum statum misericorditer revocetur. Prior tamen ad arbitrium domini episcopi et fratrum suorum punietur. Duo vero fratres per concilium domini episcopi et aliorum fratrum fideliter eligantur ; unus autem omnes redditus predictae domus recipiat, alter vero omnia victui fratrum et pauperum necessaria emat, ita tamen quod ad festum sancti Clementis et cathedre beati Petri, sancti Urbani et beati Symphoriani, domino episcopo vel illi quem ad hoc voluerit assignare et priori et aliis fratribus de qualibet receptione et de omnibus expensis bladi et omnium aliorum fidelem reddant computationem. De aliis vero expensis victui fratrum et pauperum pertinentibus, in qualibet hebdomada, priori et tribus fratribus vel duobus ad minus, reddatur ratio divisim de re qualibet comparata. Ille autem, qui plenariam computationem non reddiderit, tali officio privetur et ad cellam per tres menses comedat, nisi communi assensu domini episcopi et aliorum fratrum fiat ei dispensatio. Predictus vero truncus, in quolibet mense, si opus fuerit, a clavigeris, duobus fratribus convocatis, aperietur. Prior autem de predictis fratribus omnes denarios ibi inventos recipiet et ipsi tenebunt in memoriam summam illorum denariorum usque ad diem computationis. Idem prior de predictis

denariis procuratoribus ejusdem domus ad expensas tradet prout necesse erit ; procuratores vero, de omnibus que receperunt, domino episcopo et priori et aliis fratribus respondebunt, ut dictum est. Prior autem de omnibus que receperit ad predictum terminum vel in prima hebdomada septembris, decembris, martii et junii domino episcopo, vel illi quem ad hoc voluerit assignare, et suis fratribus illis cum suis scriptis presentibus qui receptionem viderint, fidelem reddat rationem. Si autem ipse plenariam non reddiderit computationem, tali officio privetur, et ei a domino episcopo et fratribus suis, pensata quantitate delicti, pena rationabilis infligatur. Nullus autem fratrem aut sororem, servum aut ancillam, parentem aut consanguineam in predicta domo, nisi de communi assensu domini episcopi et fratrum ipsius domus, introducat. Si autem prior vel aliquis fratrum convictus fuerit quod duos solidos alicui ad detrimentum ejusdem domus dederit, penam inde patiatur ut falsus procurator. Ego vero Hugo, episcopus, omnibus meis successoribus supplico humiliter et devote ut quod ordinavimus bona intentione faciant perenniter observari et revelationi Christi pauperum domus sepedicte pie et misericorditer dignentur per compassionem condescendere fructuosam ; semper affectuose omnibus Constanciensis ecclesie filiis, hoc idem intimantes in visceribus karitatis ; ut autem hec omnia in statu semper immobili perseverent nec possint aliquo tempore importune aliquorum malitia revocari, presentis scripti et sigillorum nostrorum testimonio digna duximus confirmare. Actum est hoc anno gratie millesimo ducentesimo septimo decimo.